

Quae est sententia epilogi?

Confirmatio est παθητικῆ, mouens atque impellens Deum, vt nos exaudiat sumptis argumētis ab honesto a facile et a causa finali. Tu vis nobis dona dare, quia rex noster es, nos populus tuus, nos infirmi et miseri, tu potens es. Gloria nominis tui agitur, ne quando dicant inter gentes: „vbi nunc est Deus ipsorum?“¹⁹⁰ Nos vicissim gratias tibi agemus et annunciabimus laudem tuam in saeculum saeculi. 5

[108:] Cur additur „Amen“?

„Amen“ Hebraea vox est significans certitudinem alicuius rei. Oponitur autem hoc epiphonema dubitationi, quae disputat an nostri gemitus exaudiantur. Estque velut obsignatio precum, qua orans testatur se certa fide et spe pendere a Deo et sine dubitatione expectare bona salutaria iuxta promissionem iuramento Christi confirmatam: „Amen, Amen, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.“¹⁹¹ 10

De poenitentia et absolutione, quae est pars quarta christianae catecheseos.

15

Quid est poenitentia?

„Poenitentia“ significat totam conuersionem ad Deum, quae est expauescere et dolere agnitione irae Dei aduersus peccata nostra et rursus erigi fide accipiente remissionem peccatorum [109:] fiducia Filij Dei et in hac fide inchoare nouam obedientiam. 20

^u eorum: G.

¹⁹⁰ Ps 79,10.

¹⁹¹ Joh 16,23.